

6) Gener. apostolicus Ordinis.

Carmelitarum.

Vicarius generalis apostolicus suffectus in locum generalis demortui petiit declarari: an sibi debeat praecedentia in capella pontificia et alibi in concursu vicarii apostolici ordinis Praedicatorum, vivente suo generali? Sacra Congregatio respondit: Praelationem et praecedentiam in capella pontificia et ubique debere vicario apostolico ordinis Carmelitarum supra vicarium apostolicum ordinis Praedicatorum in casu proposito.

Die 22. Nov. 1631.

(Anal. J. P. 1863 p. 239.)

7) Gener. Protonotarius.

Vd.: *Vic. gener.* (praeced.)

Non licere Vicario gen. Protonotario Maceratensi uti in choro habitu Protonot. et lucrari distributiones, sive intersit sive non Episcopus; et neque diebus, quibus ab eodem Episcopo fit solemniter Capella, praetense usu et solito in contrarium non obstante. n. 2266 die 15. Mart. 1664.

Tamquam Protonotario licere Vicario gen. uti habitu Protonot. cum omnibus ipsi Protonotario competentibus, sed inter alios Protonotarios et in loco, qui Protonotario deberetur et in habitu Protonotarii nullam competere praesentiam uti Vicario. n. 2329 die 20. Jun. 1665.

VICARII PERPETUI

Basilic. Urbis.

Vicariis perpetuis Basilicarum s. Joannis in Lat., s. Petri in Vat., s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso competere in processionebus praecedentiam supra rectores parochos aliarum Ecclesiarum urbis, servata tamen alternativa solita inter Ecclesias

s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso. n. 3315 ad 1. die 13. Jul. 1639.

VICE-LEGATUS.

Vd.: *Praeses.*

VIDI AQUAM.

In aspersione infirmi et cubiculi tempore pasch. antiph.: *Asperges* non est mutanda in: *Vidi aquam.*

S. R. C. 11. Febr. 1702.

VIGILIAE.

1) Adventus.

Vd. *Nativit. Dom.* (Vigil.)

De Vigilia, quae occurrit in Adventu, nihil fit in Officio; in Missa, in qua de vigilia fit commemoratio, legendum est ejus Evangelium in fine, exceptis feriis quatuor temporum. n. 4401 ad 4. die 16. Febr. 1781.

2) Antiquitas et Institutio.

Vigilia est solemnioris Festi praeventio instituta in Ecclesia in praeparationem ejusdem festi, praesertim observatione jejunii ac nocturnae, ut antiquitas, vigilantiae in Dei laudibus. Antiquitas enim praeter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud Ecclesias, quarum festa praeveniebant. *Quarti* part. 1. tit. 3. n. 2., *Merati* tom. 1. sect. 4. cap. 7. n. 1. et alii passim. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliae, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur et mos vigilandi de nocte, propter abusum, qui irrepserant, fuerit sublatus: *Concil. Sabinen.* cap. 22., ibi: „Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda saepe ac enormia sub hac boni specie commit-

tuntur, ipsas fieri de caetero firmiter prohibemus.“ Sic apud *Paravicinum in Poliant.* sacror. Canonum verb.: Vigiliae n. 3. Et sic tenent *Honorius in Gemma* lib. 3. cap., *Gavant.* part. 4. tit. 13. n. 1., *Durandus* in *Rationali* lib. 6. cap. 7. n. 8., *Quarti* loco cit. n. 2. et alii.

Dictae nocturnae Vigiliae vigerunt non solum in primaevis Christianorum temporibus sed in variis Ecclesiis Cathedralibus et altibus parochialibus continuarunt usque ad XV. saeculum, ut ex multis ostendit *Martene* in tract. de antiqua Ecclesiae disciplina cap. 7. n. 3. sequutus a *Merato* loco cit.

Unde *Vigilantius* Haeresiarcha sui nominis hostis, qui saeculo quarto temerario ausu Vigiliis improbat, confutatus fuit a s. Hieronymo, a quo per jocum dicitur *Dormitantius* et in *Concilio Aquisgrausens.* sub Ludovico Pio cap. 130 sic habetur: „Est autem quoddam genus haeticorum superfluas existimantium Vigiliis et spirituali opere infructuosas, dicentium jura temerari dei, qui noctem fecit ad requiem sicut diem ad laborem, qui haeretici graeco sermone Nyctazontes hoc est somniculosi vocantur.“ Ita apud *Paravicinum* loco cit. n. 1. in fine.

Vigiliae nocturnae vigerunt etiam ante Legem evangelicam tum apud Ethnicos tum apud Judaeos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere solebant in quatuor partes aequales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel breviter; nam in aestate erant breviores, in hyeme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliae militares dicebantur; et harum quaelibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam et dicebatur *Conticinium*; secunda incipiebat ab hora

tertia et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum*, tertia incipiebat ab hora sexta et terminabatur in nonam et dicebatur *Gallicinium*; quarta, quae proprie dicebatur Vigilia matutina, incipiebat ab hora nona et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum*.

Praedictarum Vigiliarum mentio fit in veteri Testamento. De prima vigilia *Threnor.* 2. vers. 18: Lauda in nocte in principio vigiliarum. De tertia *Judicum* 7. vers. 59: Incipientibus vigiliis noctis mediae. De quarta *Exodi* 14. vers. 24: Jamque advenerat vigilia matutina. In Testamento etiam novo habetur multis in locis expressa mentio earundem vigiliarum, Lucae 2. vers. 8: Pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigiliis noctis. S. Matthaeus cap. 14. vers. 25. de Christo loquens ait: „Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.“ Et idem Christus Dominus Marci 13. vers. 35. dixit: „vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero an media nocte an galli cantu an mane.“ Quod hic dixit *sero*, intelligit primam vigiliam noctis. Quod hic dixit *media nocte in galli cantu*: Lucae 12. vers. 38. dixit „Si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit;“ et quod hic dixit *mane*, S. Matthaeus cit. cap. 14. vers. 25. dixit: *Quarta autem vigilia noctis.* Ethnicos quoque nocturnas Vigiliis celebrasse in honorem suorum deorum ostendit *Card. Bona* de divina Psalmidia cap. 4. Haec ad literam eruditissimus *P. Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. sub num. 1. §.: Hujusmodi vigiliae.

Hinc tres *Matutini Nocturni instituti fuerunt*, ut responderent tribus vigiliis sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat et Laudes,

ut responderent quartae vigiliae sub lucis ortum; *Amalarius* l. c., *Merati* t. 2. sect. 4. cap. 1. vers.: Caeterum et alii.

Vigiliae nocturnae fuerunt abolitae propter abusum, qui irrepserant, ut ex concilio Sabinensi et Doctoribus supra allatis dictum est.

Abolitis supradicta ratione fere universaliter praedictis Christianorum vigiliis solumque adhuc in aliquibus insignioribus Ecclesiis pie ac laudabiliter observatis, ut in Ecclesia Parisiensi, ad tradita per *Grancolas* lib. 1. cap. 23., in Ecclesia Toletana ac in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis s. Crucis, in Ecclesia Cenomaniensi in nocte s. Juliani, et in Ecclesia s. Martini Turonensis in nocte Festi transitus ejusdem sancti, ut ex aliis d. P. *Merati* cit. tom. 2. sect. 3. cap. 7. vers.: *Abolitis*, et alibi, ut referunt, alii per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini et in pluribus Regularium utriusque sexus Ordinibus, qui diversis horis nocturnis surgunt ad Matulinum decantandum, ita ut in qualibet noctis vigilia aliquis regularis Ordo surgat ad nocturnas Laudes Deo persolvendas, remansit apud universalem Ecclesiam vigiliarum nomen sive ad indicandum jejunium in ipsis observandum sive Officium divinum in ipsis recitandum.

3) Apostolorum.

Ad dubium: An de Vigiliis ss. ap., in quibus non jejunatur, fieri debeat Officium seu legi 9. l. de homilia cum com. ad Laudes, prout fit in aliis locis, ubi jejunatur?

S. C. resp.: Fiat Officium de Vigilia in omnibus Vigiliis descriptis in Brev. rom. juxta rubricam Breviarii tit. 6. de Vigiliis. n. 2974 die 24. Jan. 1682.

4) Ante Consecrat. Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil. decr. n. 4979; n. 5008.)

5) Ascensionis D.

In Vigilia Ascensionis fer. 4. Rogationum, si occurrat festum primae classis, tunc nec in Officio nec in Missa fit aliquid de ipsa. Unde in tali casu cantari debet in cathedralibus et Collegiatis solum Missa de dicto festo post Tertiam et alia de Rogationibus post Nonam, omissa illa de vigilia. Si autem in dicta vigilia occurrat aliquod festum novem lectionum duplex seu semiduplex, tunc officium fit de eo cum lectione de homilia vigiliae et ejus commemoratione ad laudes et cantari debent tres Missae; prima de festo post Tertiam cum colore tali festo convenienti, secunda de vigilia post Sextam in paramentis coloris albi; tertia de rogationibus post Nonam in paramentis violacei coloris, ac in fine cujuslibet dici debet Evangelium s. Joannis. *Merati* tom. 1. par. 4. tit. 11. num. 14. cum Gavanto et aliis ibi cit. Advertendum est autem, quod licet occurrente festo primae classis in vigilia Ascensionis feria IV. Rogationem, nihil sit agendum de ipsa tam in Officio quam in Missa: si tamen tale festum primae classis occurrat in feria 2. Rogationum, quia ipsa est feria major, debet de ea fieri commemoratio tum in Missa cum ejus Evangelio in fine, tum in Officio cum ejusdem nona lectione. Et in hac feria cani debent in Cathedralibus et Collegiatis duae Missae, prima de festo, in qua nulla fit commemoratio feriae, et secunda de feria, in qua nulla fit commemoratio festi. Non sic vero de feria 3. Rogationum, quia ipsa est tantum feria minor; unde occurrente, in ipsa festo duplici primae classis,

nihil de ipsa agendum est in missa tum in officio. Immo in officio de ea nihil fit, quocumque in ipsa occurrente festo etiam simplici, de quo occurrente simplici sit officium sine commemoratione feriae, sed tantum de cruce, ut tempore paschali. Et tunc missa dici potest vel de festo simplici cum commemoratione Rogationum vel de Rogationibus cum commemoratione festi simplicis, ut dicitur in Rubrica propria, et tertia Oratio erit *Concede* ac ultimum Evangelium sancti Joannis in utralibet. Nec tunc in Cathedralibus et Collegiatis canendae sunt duae missae, ut resolvit Sac. Rit. Congr. 5 Jul. 1698. in Collen., in qua ad sequens inter alia propositum tertium dubium: *An occurrente in feria tertia Rogationum festo simplici in Cathedrali et Collegiatis sint cantandae duae missae?* Respondit ad 3: Negative. Sic cum Gavanto et aliis eruditissimus P. *Merati* tom. 1. part. 4. tit. XI. n. 11. 13. 14. et tom. 2. sect. 6. cap. 16. n. 21. recte advertendo ex Rubricis missalis et breviarii magis esse privilegiam feriam secundam Rogationum et Vigiliam Ascensionis in feria quarta, quam sit feria tertia utpote feria minor, cedens festo simplici, de quo tamen festo simplici nequit fieri officium in feria 2. Rogationum et Vigilia Ascensionis communiter nuncupata feria quarta Rogationum. Insuper habentes indultum, ut semel vel pluries in singulis hebdomadis aut mensibus dicant officium et missam, verbi gratia de Sanctissimo Sacramento aut certo aliquo Sancto diebus nullo festo duplici vel semiduplici impeditis, non possunt uti hoc suo privilegio in feria II. et IV. Rogationum seu Vigilia Ascensionis ex Decreta generali Urbis et Orbis edito a Sacra Rituum Congr. 20. Martii 1706, bene vero in feria III. Rogationum in dicto Decreto non excepta.

De orat. in vigil. Ascens. vd. *Missale* (Correctio II. C. n. 13.)

6) Commemoratio.

Vd.: *Vigiliae* (Officium.)

7) Epiphaniae.

(Missae vot. et de Requ. vetitae.)

Vd.: *Missae cantatae de Requ. ex devot.* (decr. n. 4174.)

Cum de anno 1617. 12. Apr. decretum fuerit, non esse celebrandas missas vot. vel de Requ. in vigilia Epiph. Dom. et in Calendario Romae impresso excludantur tantum Epiphania et dies infra ejus octavam, nulla facta mentione vigiliae, quaeritur: an dictum decretum sit universale an speciale tantum pro aliquibus Ecclesiis et Religionibus?

S. C. resp.: Detur seu servetur decr. diei 27. Apr. 1697.

Ad dubium: An sit licitum celebrare in vigilia Epiphaniae missas priv. de defunctis, cum etiam possint celebrari similes missae infra octavam Nativ. Chr. die, in qua fit Officium dominicae vacantis, videtur etiam, quod possint celebrare in vigilia Epiph., in qua etiam recitatur officium dominicae vacantis si non sit alia ratio, ob quam tali die hae missae pro def. prohibeantur?

S. C. resp.: Negative. n. 3788 ad 2 die 16. Junii 1708.

In vigilia Epiphaniae missae vot. et de Requ. celebrari non possunt. n. 3918 die 10. Dec. 1718; die 23. Sept. 1675.

In vigilia Epiphaniae D. non possunt celebrari missae privatae de Requie et votivae. n. 3991 ad 7 die 16. Sept. 1730.

Vd.: *Missae de req. infr. oct.*; *Missae vot. priv.*

In vigilia Epiphaniae prohibentur missae votivae et de requiem; potest tamen cani una votiva solemnitas pro re gravi et una de requiem solemnitas praesente cadavere. Sac. Rit. Cong. 27. Apr. 1697, 16. Jun. 1708, 10. Dec. 1718. et 16. Sept. 1730. Dictae autem missae solennes cantari possunt, etiamsi ipsa vigilia sit dies 3., 7. aut trigesima et anniversarium depositionis defuncti in Ecclesia tumultante et non aliter. Sac. Rit. Congreg. 10. Dec. 1718. Sic ex Calendario Minorum de observantia Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis.

8) Festorum jejunandae et anticipandae.

Vd.: *S. Joannes Baptista; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553, ad 3.); *Reductio festor.* (decr. n. 4759, 4773.) *Jejunium.*

Ad dubium: An populi celebrantes quotannis festum Titularis in vigilia alicujus Sancti teneantur anticipare jejunium in die praecedente praedictum festum?

S. C. resp.: Negative et in casibus particul. recurrendum ad S. C. n. 4526 ad 45 die 7. Sept. 1816.

S. C. Incollis Ecclesiae parochialis S. Saturnini, Dioec. Tarbien., celebrantibus diem solemnem dicti Sancti, quae occurrit in Vigilia s. *Andrae* ap., dictam vigillam anticipari ad antecedentem in diem festivitatis s. Saturnini benigne indulget. n. 2587, die 14. Maii 1672.

S. C. benigne concessit, ut jejunium vigiliae s. *Laurentii* m. in terra s. Agathae Plebis Gorganzolae transferatur in diem antecedentem octavam Augusti, dum die 9. Aug. propter festum solemnem s. Firmi incolae dictae terrae

jejunium non servant. n. 2605 die 3. Dec. 1672. Idem indulget S. C. pro loco Campi de Ferro Dioec. Terdonens. n. 2823 die 3. Apr. 1677. et sub n. 3681 die 12. Apr. 1704 pro oppidis Trivultii et Burgi Dioec. Papiensis. Item pro oppido Ottobiano Dioec. Papien. n. 4126, die 7. Jun. 1742.

S. C. benigne concessit, ut quando festum s. *Christinae* v. m. Titularis Ecclesiae Paroch. ac Patronae loci de Aro incidit in vigiliam s. *Jacobi* ap. totius Hispaniae Patroni, dicta Vigilia s. *Jacobi* transferatur in vigiliam s. *Christinae*, ita ut tam incolae quam advenae (adimpleto et servato ut praedicitur jejunio) die seu festo ipsius s. *Christinae* vesci carnibus non prohibeantur. n. 2636 die 17. Junii 1673.

S. C. benigne concessit, ut vigilia s. *Matthaei* ap. quoad commemor. in Officio et jejunium transferatur ad praecedentem diem 19. Sept., attento quod in die 20. celebratur *Aquavivae* festum s. *Eustachii* Titul. ac princip. patroni. n. 3016 die 20. Mart. 1683.

Ad dubium: An vigilia s. *Matthiae* ap. occurrens 1694 in fer. 3. post dom. Quinquages. possit ratione carnis privii anticipari cum jejunio?

S. C. resp.: Negative et jejunium praedicta fer. 3. omnino servandum. n. 3326 die 23. Jan. 1694.

Vigilia s. *Marci* jejunanda et in feria 3. Dominicae Resurrectionis anno 1696 occurrente transferatur jejunium ad diem immediate antecedentem, in quam Officium s. *Marci* transferetur. n. 3375 die 17. Dec. 1695.

Cum in loco Curtis Olonae Dioecesis Papien. die 9. Augusti Festum s. *Firmi* Mart. ex antiqua consuetudine solem-

niter celebretur ibique nundinae magno finitimorum populorum concursu fieri soleant ac in eundem diem incidat pervigilium s. *Laurentii* Mart. adeoque jejunium a majori confluentium et indigenarum parte violari contingat, supplices libellos S. R. C. porrexere communitas et homines praedicti loci, ut jejunium ipsum, quod servandum esset die 9., imposterum servari posse die 8. Augusti, indulgere dignaretur.

Et s. eadem R. C. resp. referente Emo et Rmo D. Card. Casino: „Gratiam petitam concedendam esse, arbitrio Emi Episcopi, si SSmo videbitur.“

Die 26. Augusti 1713.

Factaque deinde per Pro-Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione Sanctitas Sua benigne annuit. N. 1857 die 6. Sept. ejusdem anni 1713.

Derthonen.

Populus Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria ante postremam reductionem festorum factam sub die 14. Novembris 1806 servabat indultum reductionis festorum servandorum in Liguria ex decreto sa. me. Pii Papae VI. sub die 23. Augusti 1782, ex quo indulto constat Januenses non fuisse solutos a praecepto servandi festum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in vigilia festi et audiendi sacrum in festis suppressis et jejunandi in vigiliis sanctorum Apostolorum. Servabat item jejunium in vigilia festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis Patronae principalis Liguriae ab antiquo servatum in tota Liguria. Anno 1815 conjuncta cum Pedemontio Liguria et promulgato indulto reductionis festorum et jejuniorum servandorum in Pedemontio ex decretis Summorum Pontificum Pii VI. dato sub die 27. Maii 1786 et Pii VII. dato sub die 9. Novembris 1814 recensitus

populus Civitatis Novarum a praedicto anno 1815 ad hanc usque diem conformavit et conformat se ad servandum indultum Pedemontanum, ex quo indulto constat Pedemontanos esse solutos a praecepto servandi festum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae et jejunandi in vigilia festi et ab aliis praeceptis expositis in indulto Januensi. Hisce omnibus expositis s. Rituum Congregationi humillime supplicavit R. D. Molinelli Vicarius capitularis Derthonen. declarari: An, non obstante unione Liguriae cum Pedemontio, populus ejusdem Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria debeat servare festum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in vigilia festi? Similiter an debeat servare jejunium in vigilia festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis pariter Patronae principalis Liguriae, ut servabat ante postremam reductionem festorum sub die 19. Nov. anni 1814?

Et sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis D. Placidi Zurla Pontificis omnibus mature accurateque consideratis rescribendum censuit: „Nihil innovetur et servetur praxis, quae in usu fuit ab anno 1783 ad annum 1806.“ Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 7. Aprilis 1832 num. 4679.

9) Quae jejunandae?

Vd.: *Vigil.* (novas Episcopus etc.)

Jejunandum est ex praecepto scripto in Vigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V. et omnium Apostolorum, exceptis vigiliis sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi ac sancti Joannis Evangelistae, textu expresso

in cap.: *Ex parte vestra 1.*, et cap.: *Consilium 2.* de observatione jejuniorum. Ideo autem excipiuntur ab obligatione jejunii dictae vigiliae sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi ac s. Joannis Evangelistae, quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur; sint verba praecisa citat. cap.: *Consilium.*

Generali autem consuetudine vim praecepti habente sive ex praecepto tradito et non scripto, ut vult Cardenas et alii Theologi, jejunandum est in vigiliis Pentecostes, Nativitatis s. Joannis Baptistae, s. Laurentii et festivitatis omnium Sanctorum. Sic expresse sapientissimus P. Merati tom. 2. sect. 3. cap. 7. sub. num. 1. verbo: *Abolitis* in fine, ubi recte subdit, quod praeter dictas vigiliis aliae duae in Breviario et Missali recensentur, id est Epiphaniae et Ascensionis Domini, sed sine obligatione jejunii, solum ideo retentae, quia in his solemnitatibus perinde ac in aliis vigiliis olim solemnes in Ecclesiis haberentur, tum ut de his officium rite persolvatur. Ideo autem in ipsis non jejunatur, quia nulla adest lex seu consuetudo ad id obligans, ob laetitiam Nativitatis Domini et ejusdem Resurrectionis; quam ob causam neque jejunatur in vigiliis s. Joannis Apostoli et Evangelistae et sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, ut dictum est supra per expressum allatum textum, cap.: *Consilium 2.* de observatione jejunior.; *Gavant.* tom. 1. pag. 1. tit. 3. n. 6. et tom. 2. sect. 3. cap. 7. num. primo et alii passim.

Vigilia occurrente in Dominica jejunari debet in Sabbato antecedenti, textu expresso in cap.: *Ex part. 1.* de observatione jejuniorum.

Si Vigilia s. Joannis Baptistae cadat in festo Corporis Christi, anti-

cipandum est jejunium feria 4. S. Rit. Congr. 23. Septembris 1638 in decreto Urbis et Orbis et Urbanus VIII. 14. Octobris ejusdem anni 1638 in appendic. 2. constitut. 45. incip.: *Cum evenire.* Et eo anno nihil prorsus in officio et missa nec commemoratio fit de vigilia, quamvis anticipetur jejunium feria 4. prout respondit sacra Rit. Congr. 18. Sept. 1706 inquitens: Nihil de vigilia in officio et missa, apud Monacell. part. 4. supplement. ad 2. tom. num. 459. quod approbavit Clemens XI. 2. Octobris ejusdem anni ut in ejus Bullario particulari part. 3. decret. 9.

Vd.: S. Joann. B. (vigilia.)

Idem declaratum est quoad jejunium pro vigilia s. Antonii de Padua, si occurrat in festo Corporis Christi; vide verb.: Jejunium art. 1. n. 23.

Si vigilia cum jejunio occurrat in festo solemni alicujus patroni principalis, potest licite ab Episcopo fieri commutatio jejunii in die praecedenti. Vide rubricas particulares breviarii Franciscani tit. de vigiliis n. 73.

10) Intra octav. SS. Corp. Chr.

Vd.: Octava SS. Corp. Chr. (off., decr. n. 4448.)

11) Officium et Missa.

Vd.: *Vigil. Ascens. D.*

Officium de vigilia fit in omnibus vigiliis per annum, quae jejunantur nisi in die Vigiliae occurrat festum novem lectionum, quia tunc fit officium de tali festo et legitur nona lectio de homilia vigiliae et fit commemoratio de ea ad laudes tantum cum antiphona ad Benedictus et V. feriae occurrentis de psalterio et oratione vigiliae, text. expr. in rubrica de vigiliis n. 1. Si autem tale festum occurrat in die vigiliae fuerit

primae classis, tunc nihil prorsus nec commemoratio fit de vigilia excepta vigilia Epiphaniae; sic expresse in cit. rubr. n. 2. Et idem servandum est, quando aliqua vigilia cadit in Adventu, Quadragesima et quatuor temporibus, quia nulla in his fit commemoratio de vigilia. Ita expresse cit. rubric. n. 2.

Si vigilia occurrat in Dominica, anticipatur ejus officium in Sabbato praecedenti non impedito officio novem lectionum; quia tunc de vigilia fit tantum commemoratio. Excipiuntur tamen ab hac regula vigilia Nativitatis et Epiphaniae Domini, quae si venerint in Dominica, nihilominus fit officium de ipsis, textu expresso in citata rubrica num. 2. Si autem alicubi anticipetur seu transferatur jejunium alicujus vigiliae in pridianum diem ob principale et solemne festum patroni loci in ipsa vigilia occurrens, non est transferendum nec anticipandum officium vigiliae, sed de ipsa nihil tunc fit in officio et missa, arg. cit. decret. s. Congr. Rit. n. 16., et tenent *Gavant.* ac *Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. n. 3., *Quarti* par. 1. tit. 3. sect. 2. dub. 2., ubi concludit, quod non impetrata licentia a Sede apostolica omittendum sit tunc officium cum missa vigiliae.

Officio vigiliae, quod tunc erat de feria, addit s. Pius V. homiliam in evangelium, quod in missa legebatur; *Azorius* lib. 10. cap. 16. quaest. 5., *Gavant.* et *Merati* loc. cit. n. 5.

Licet ex supradictis, si vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et quatuor temporibus, non sit facienda de ipsa commemoratio in officio, est tamen facienda in missa, ut praescribit *Rubrica Missalis tit. de Feria et Vigilia.* Et ratio diversitatis est, quia cum vigilia habeat orationem propriam et non confundatur cum oratione feriae hinc nulla est ratio, cur debeat om-

mitti ejusdem commemoratio in missa, quae in sola oratione consistit. At vero in laudibus commemoratio involvit etiam antiphonam et vers. feriae, quae deberent repeti, si deberet in officio fieri commemoratio vigiliae, cum semper in tali commemoratione desumatur antiphona et versus ex feria tunc occurrente, ut recte advertit doctissimus P. Merati tom. 2. sect. 3. c. 7. n. 4. Non fit autem commemoratio de vigilia nec in missa in festis primae classis, sicut nec fit de ipsa in officio, textu expresso in *Rubrica Missalis tit. de feria et vigilia n. 2.* ibi: „Quod si vigilia occurrat in die alicujus festi ex majoribus primae classis, in missa non fit commemoratio de ea sicut nec in officio.“

12) Nativit. Domini.

Vd.: *Missa de requiem inf. oct., t. I. p. 202; Missa votiva priv.*

In vigilia Nativitatis Domini sicut in tota ejus octava prohibentur missae votivae et de requiem, excepta una solemni pro re gravi et de requiem cantata praesente cadavere. S. Rit. Congr. 28. Aug. 1637, 25. Septembris 1708 et 15. Septembris 1714.

13) Novas Episcopus instituere non odtest.

Vigilias novas non appositas in Calendario romano non potest ordinare Episcopus quoad officium et missam, sed requiritur licentia Sedis apostolicae, ut patet ex bullis sancti Pii V. appositis in initio missalis et breviarii et ex decreto s. Rit. Congr. addito rubricis breviarii. Neque quoad jejunium, ut pluries decrevit s. Rit. Congr. die 3. Martii 1731 ut refert *Scarfontonus* ad Ceccoperium part. 3. addit. 24. sub n. 18. pag. 69. juxta novissimam editionem Viterbiens. de anno 1738 ubi: A magistratu provin-

ciae Gupuscoae cum mandatis procurae omnium locorum fuit emissum votum jejunandi in vigilia s. Ignatii Loyolae tamquam patroni principalis illius; quod cum servare renuerit clerus, propterea Episcopus tamquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reportavit Clerus Chirographum a Benedict. XIV. quo improbatum fuit illud factum Episcopi sub die 21. Martii 1729, a quo cum petita fuisset oris aperitio, in s. Rit. Congr. die 3. Mart. 1731 ponente Eminentissimo Origo, fuit denegata et iterum postulato recessu a decisis die 15. Sept. s. eadem Congr. stetit in decisis. Sic apud Joan. Baptistam Pittonum constitut. ac decision. pro s. ritibus tom. 2. num. 1012.

14) Pentecostes.

Reformatorum Ordinis s. Francisci.

Fratris Bernardini Crucifixi in Ara-coeli pro licentia celebrandi festum s. Bernardini unica tantum missa cantata ratione concursus die sabbati vigiliae Pentecostes: Non licere.

Die 6. Maii 1673.

(Anal. J. P. 1865 p. 1180 n. 1972.)

Vd.: *Missae de requ. inf. oct.*; *Missae vot. priv.*; *Missae vot.* (dies et octavae etc.)

In vigilia Pentecostes prohibetur quodcumque officium etiam primae classis; item prohibentur missae votivae et de requiem excepta una votiva pro re gravi et de requiem cantata praesente cadavere, quae tamen prohibetur in Dominica Pentecostes et duobus sequentibus ex decreto sacrae Congregationis Rituum 10. Decembris 1718 relato a Calendario Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis. Ex novissimo decreto edito

2. Sept. 1741 permittitur missa solemnis de requiem praesente cadavere feria 2. Paschae aut Pentecostes.

15) Omnium Sanctor.

Vd.: *Missale* (correctio. decr. n. XIV.)

16) Translatio.

Vd. p. 852. n. 8.

Rothomagen.

Cum festum s. Quintini martyris principalis patroni oppidi seu loci de Neucourt ab illius incolis aliisque finitimis magno pietatis studio ac populorum frequentia in vigilia omnium Sanctorum celebretur et proinde jejunii observatio difficilis reddi videatur, ab iisdem humiliter Congregationi sacris Ritibus praepositae supplicatum fuit, ut sibi concedere dignaretur facultatem vigiliam omnium Sanctorum in praecedenti die anticipandi. Et Emis PP. visum fuit id posse concedi, si SSmo D. N. placuerit. De qua s. Congregationis sententia habita ab Emo D. Cardinali Capponio praefecto relatione Sanctitas Sua annuit.

Die 27. Februarii 1651.

(Anal. J. P. 1863 p. 312.)

S. VINCENTIUS MART.

(Missa et Off.)

Ad dub.: An in missa s. Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniorum officium quotannis persolvitur ex apostolico indulto die 5. Julii 1819 sub ritu dupl. II. cl. cum octava dicendum sit Symbolum Nicaenum?

Emi itaque ac Rmi PP. . . respondendum censuerunt:

„Affirmative ex concessione.“

Atque ita rescribere ac servandum omnino mandarunt. N. 4787 ad 1. Die 27. Augusti 1836.

Pius PP. VI.

Emanavit nuper a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet: Conchen. Sanctissimus Dominus Noster Pius sextus Pontifex Maximus ad humillimas preces reverendissimi Episcopi Conchensis benigne concessit elevationem ritus officii sancti Vincentii Martyris a semiduplici ad dupl. min. cum lectionibus propriis secundi nocturni jam alias adprobatis *pro Provincia Valentina* et cum lectionibus tertii nocturni ex homilia s. Gregorii PP. in Evangelium „*Si quis vult etc.*“ de communi unius martyris secundo loco, recitandum in *tota dioecesi Conchensi* in die ejus festo.

Die 15. Junii 1793.

Loco † Signi.

Card. Archintus, Praefectus.

D. Cappola S. R. E. Secretarius.

Cum autem sicut venerabilis frater modernus Episcopus Conchensis praedictus Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi quo firmiter subsistat et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 5. Julii 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 333.)

Claramonten.

Fratres minimi conventus Claramonten. s. Rituum Congregationi supplicaverunt ipsis facultatem attribui, ut possint quotannis die 31. Augusti recitare officium duplex in octava s. Vincentii martyris intuitu corporis ejusdem sancti, quod asservatur in eorum Ecclesia. At Emi PP. eidem Congregationi praepositi petitioni praefatae tantum intra limites decretorum generalium annuerunt, quod scilicet, praevia corporis approbatione ab Ordinario facienda, die tantum martyrii vel translationis aut his etiam incertis, alia arbitrio ejusdem Ordinarii statuenda fratres oratores possint officium sub ritu duplici e communi unius martyris assumendum recitare.

Die 19. Junii 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 329.)

VINUM PRO CELEBR. MISSAE.

a) Materia.

Solum vinum ex vite est materia apta consecrationis; Concil. Carthaginens. III. capit. 4., Concil. Lateranens. cap.: Firmiter de Summa Trinitate, Concil. Florentin. sess. ult. in decreto unionis §: Tertium, et Communis Catholicorum.

Unde cerevisia et sicera non est apta materia, cum illa fiat ex frugibus et praecipue ex hordeo, ista ex pomis. Item apta materia non est lac, mel, oleum, balsamum et similia. Item apta materia non est succus extractus ex pomis, malogranatis et moris et hujusmodi. Item apta materia non est agrestum ex uvis penitus immaturis expressum et acetum, quia illud nondum est vinum et istud intelligitur jam substantialiter corruptum. Item ma-